

## **De lue venerea in recens natis : positiones anatomico chirurgicae.**

### **Contributors**

Faguer Desperrières, René Alexandre.  
Faguer, Pierre, 1733-1787.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Parisiis : Typis Michaelis Lambert, 1782.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dqvpywc>

### **Provider**

Royal College of Surgeons


### **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



ILLUSTRISSIMO , SPECTATISSIMO VIRO ,  
 BENEFICIENTISSIMO MÆCENATI  
 D. D. LE NOIR ;  
 REGI A SANCTIORIBUS CONSLIIIS ,  
 VIGILANTISSIMO SECURITATIS URBANÆ CUSTODI ,  
 PRO TOT TANTISQUE IN SE COLLATIS BENEFICIIS  
*HOS QUALESCUMQUE LABORUM SUORUM FRUCTUS*  
 OFFERT , DICAT ET VOVET

OBSEQUENTISSIMUS ,  
*R. A. Faguer Desperrierea.*



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

ILLUSTRISSIMO, SECTATISSIMO VIRO  
LENTIGENITISSIMO MECCANICO  
D. DE NOIR;  
REGIA SARTORIOPIA CONSILII  
MAGISTRISMO SECURITATIS URBEI CUSTODI  
PRO TOT FABRICIS IN SE CAPITATIS MACHINIS  
HOC GUTTASUMMO LABORUM EAMORUM TUTICUM  
CERTA DICTA ET VOVIT

OASO BANTISSIMAS

• R. A. De la Roche

<https://archive.org/details/b22414836>



D E

# LUE VENEREA IN RECENS NATIS.

---

## POSITIONES ANATOMICO CHIRURGICÆ.

---

**Q**UOTIDIANA, simul & luctuosâ nimis constat experientâ plurimos à sanguine paterno in progeniem derivari morbos; sic imprægnatur vitiosâ labe intima illius constitutio, vitaque fit ingratum munus, & onus admodùm grave ac molestum. Hæreditariæ autem illæ affectiones non eâdem intensitate vigent, non eâdem adhærent tenacitate.

A 2

Debellantur quædam solis naturæ viribus quas feliciter juvat idonea vitæ ratio, & promovet ætas firmior; sic ipsos inter œconomiæ animalis recessus perit iners strumosus, scorbuticus, arthriticus, seu rheumaticus humor. Non ita de viru venereo. Hic amarus impuræ libidinis fructus innocua mutui amoris pignora corruptit radicitùs, & majores edit strages, nisi salutari manu compescatur illius tumultus.

Accuratæ desunt observationes quibus natura luis venereæ victrix proclametur (1). Docet nos, frequentior artis usus indomitum illud virus quandòque à propria indole fieri degener, & variâ obduci larvâ, undè dejiciuntur in errorem incauti vel inexpertes. Itaque experienciâ duce, naturam in morbo venereo à parentibus transmisso feliciter propugnando minimè idoneam fateamur, & necessarium artis auxilium invocemus.

Sed, proh dolor! beneficam Chirurgi manum, ut ita dicam, vinciunt, mendax symptomatum indoles, infantorum temperies imbecillior, & major remedii apti energia: sic in recens natis miasmate venereo afflatis, ad hodiernum usque diem, sæpius incassum tentata, imò exitiosa habita est curatio.

Medicinae & Chirurgiae Annales pervolventi hinc & indè occurruunt observationes quædam, & annotationes raræ, tūm de Diagnosi innati istiusce morbi, tūm de variis modis quibus existit mutuum & crudele lactantes inter & nutritos venereæ luis commercium, tūm de diversa illius curandi methodo (2);

(1) *Vide* Fabre, *Traité des malad. vénér.* tom. 1, pag. 37.

(2) *Vide* Nicol. Massa, *de morbo Neapolit.* lib. 1. & 2. Lugd. 1536.

*Les Œuvres de Paré*, 1607.

*La Chirurg. de Guillemeau*, 1647.

*Harris, de Lue Venereæ.*

ineunte seculo, nondum promulgata fuerat doctrina ratione & experientia comparata. Inter remedia utilia, noxia, vel frustanea hærebat anceps Chirurgi manus.

Attamen lapsu temporis exspatiatur artis nostræ gyrus de morbi venerei ætiologiâ, de symptomatibus quibus in recens natos monstrum illud debachatur, necnon de præstantiori modo hydrargiri apud eos administrandi (1).

Nonnulli existimârunt practici infantulos labe venereâ pol lutos, unâ cum nutricibus methodo communi esse subjiciendos. Recta quidem illa opinio, sanum judicium; nulla autem hujuscemodi, facilis, simplicis, juxta naturæ votum habitæ, confirmata praxis, nulla ei favebat publica institutio.

Plaudamus ætati nostræ, plaudamus vigili studio, sapienti que beneficio illustrissimi viri qui res urbanas tam feliciter prosequitur! Quo duce & auspice, surgit ædificium publicum in quo providetur humanitatis bono, simul & artis salutaris incremento.

Audiunt omnes mulieribus, sive prægnantibus, sive puerperis, syphilide inquinatis, novum apertum esse Hospitium in quo infortunati earum pueruli unâ cum lacte materno fugunt alimentum & medicamen, in quo nutrices prætio conductæ suppeditant succum nutritium simul & antivenereum recens

(1) *Vide Astruc, de morbis venereis, lib. iv, cap. v.*

*Mauriceau, Traité des maladies des Femmes grosses, chap. xi,  
De la cure de la maladie vener. des petits enfans,  
tom. 1, p. 518.*

*Levret, l'Art des Accouch. troisième édition, p. 267.*

*Fabre, tom. 2, p. 265.*

*M. Nils Rosen, Traité des maladies des Enfans, trauuit par  
M. le Febyre de Villebrune, D. M. p. 560.*

natis è Nosocomio dicto, *l'Hôpital des Enfans-Trouvés*, vel ex alio loco adventitiis (1).

In hoc tam felici hospitio necessarium apti cuiuscumque medii suppellestile adduxit beneficentia; & jam incœpti successus ampliores jubent auspicari. Hic naturæ interrogandæ frequentior datur occasio, hic accuratatum scatet fons genuinus observationum, undè salutares rivi in miserrimam sobolem decurrere amabunt. Congestis ità plurimis hâc eâdem de re observationibus, certior, facilior & promptior luis venereæ congenitæ Diagnosi, Prognosi, necnon curationi aperienda est via. Utinam bonorum omnium votis annuat hæc nostra dissertatio quam proponendam hodiè suscipimus, & quæ momenta duo offert adimplenda!

1°. Quænam diagnostica morbi venerei in recens natis symptomata?

2°. Quænam præstantior curationis methodus?

Cum verò symptomata venerea externis præsertim partibus inhæreant, cuti scilicet, textui cellulari & glandulis, singulum quodque organum leviter Anatomiae penicillo venit delineandum.

## *E X A N A T O M I A.*

OMNES corporis partes communibus involvuntur tegumentis quorum, juxtâ recentiores, duplex instituitur divisio, in cutem nempè, & membranam cellularem aut adiposam.

Cutis miro quidem, sed extricatissimo conflata artificio, vasculari, nerveo & membraneo implicatur intertextu cui corii

(1) Vide *Hospice des pauvres Enfans nouveaux nés, atteints du mal vénérien, broch. in-4°, par M. Colombier.*

nomen assighârunt Anatomici. Non eadem ubique densitas, non eadem textura, modò crassior, modò rarer. Extensionis & coarctationis capax varias imò & oppositas subit vices, ut in obesitate, graviditate, hydrope & emphysemate, aliundè in macie & marasmo, &c.

Diversi generis quamplurima vasa offert cutis. È spectabili venarum & arteriarum connubio plexus oritur vasculosus, evidentior tamen in genis, ubi liliis miscentur rosæ. Exteriori cutis superficie adhæret membrana tenuis, perlucida, innumeris perforata poris, & nullo sensu donata, quæ dicitur epidermis.

Structuram attente perpendenti minutissimæ solo intuitu apparent lamellæ, squamosæ, densissimæ, attamen spongiosæ, undè non raro spissior evadit epidermis; quod plurimi evidenter probant morbi cutanei, monstratque maceratio arte parata.

Diversa etiam cuticulæ crassities quæ durorum corporum attritu fit major in volis manuum plantisque pedum, & callosa quidem, lamellis stratum super stratum additis; undè enervatur tactus exquisitior.

Non solùm cutem investit epidermis, ex' partibus internis in internas disseminata per magnos hiatus reflexa diffunditur.

Deprehenduntur insuper microscopii ope cuticulæ expansiones quæ cutis poros permeant usquè ad tubulos cryptarum vel glandularum cutanearum excretorios, à quibus tamen igne, cantharidibus, & gangrenâ eam recedere observamus. De promptâ regeneratione non autem de verâ origine (1) omnes consentiunt.

Quæquæ sit, cutem ab attritu & dolore defendit epider-

(1) *Vide* Morgagni, *Advers. Anat.* pag. 13.

mis, sive juvat tactus sensum & moderatur. Cuticula abrasa, conspicuae occurunt eminentiae quædam mammoideæ, hic villosæ, illic pyramidales, quæ penicillatae & radiatim dispositæ, ab extremis nervorum propaginibus hinc & inde per reptantibus efformantur & in digitorum apice, mammarum papillis, lingua, labiis & in balano numerosiores, evidentioresque admodum reperiuntur (1).

Ex iis nervorum surculis exsurgit substantia mollis, pulposa, cuticulae sic & cuti firmiter adhaerens, reticuli vel cribri instar ordinata, cui corporis reticularis aut mucosi nomen à Malpighio concessum fuit.

Si Ruyshii experimentis fides adhibenda, potissimum ab eo pendet color cutis (2).

Latet illius principium, non verò usus; si quidem papillarum mollietatem & ad tactum aptitudinem tueri videatur. De glandulis miliaribus vel folliculis à Stenone & Malpighio, (3) de Sebaceis à Morgagnio evulgatis, (4) de poris tum arteriosis tum venosis inhalationi & exhalationi dicatis, ab Hippocrate & galeno cognitis (5), luculentis verò experimentis & indefessâ Sanctorii & Kaau observatione illustratis; (6) de pilis, unguibus & aliis cuti annexis partibus dicere strictior vetat dissertationis cancellus, quibus de omnibus, Anatomicorum scriptis confundendum.

- 
- (1) Winslow, *Expos. Anat. Traité des Tégum.*  
 (2) Ruyshii, *Advers. Anat. Dec. III, pag. 26.*  
 (3) Epistol. de glandulis, p. 5, edit. Londin.  
 (4) Advers. Anatom.  
 (5) Hippocrat. Epid. Lib. vi, Sect. vi.  
 (6) *Medica Statica Sanctorii.*

Item, de Perspir. Hypp. Kaau.

Cuti

9

Cuti subjacet & adhæret laxius hic, illuc firmius membrana cellularis aut adiposa. Eo dicitur nomine secundum corporis involucrum commune. Omnium organorum basis & fundamen-tum, alia aliis alligando, eorum consensum, variaque officia foveat & tuetur; ideoque meritò ad corporis humani elementa refertur tela cellulosa (1). Plurimis conflatur folliculis membranaceis ità inter se ordinatis, ut innumeræ efformentur cellulæ in puerili ætate copiosiores, in senili verò rariores, variæ expansionis mutuum commercium sortientes; quod perspicue constat Emphysemate, Leucophlegmatiâ, necnon laniorum insufflatu.

In iis coacervatur interstitalis oleum tenuem, blandum, in diversis locis spissitudine diversum, cuius secretioni arteriæ capillares, & resorbtioni venulæ inhiantes potissimum favent (2). Epulis, somno, quiete mirum in modum augetur adiposus humor, & congestus non ratò nocet (3). Inediâ, motu, vigiliâ, curis animi, febre, morbo quolibet facilè & brevi evanescit. In omnibus corporis partibus non æquè diffunditur pinguedo; quæ quidem varietas à vario illius usu pendet: sic musculos copiosè ambit ut facilior motus evadat, & minor attritio. Sic adiposæ partes, delicatores præbent lineamentorum tractus, undè venustior forma; sic risus sedent in fæminarum vultu, sic amabili globulorum formâ jucundiores sororiantur mammæ.

Alii sunt textus cellularis usus, quos ut potè nostro proposito minus necessarios, tacebimus.

Variæ sunt de glandularum structurâ opiniones (4); genera-

---

(1) *Vide* Halleri Elem. Physiol. tom. 1, lib. 1, p. 19.

(2) Ruyschii, Advers. Anat. p. 28.

(3) Halleri, idem, p. 50.

(4) *Vide* Laurentii Heisteri, compend. Anatom. de Adenologiâ. (1)

tum verò denominantur partes peculiaris habitū, figurā, colore, connexione, structurā & usu ab aliis discrepantes. Illa autem organa constituit minutissimorum diversi generis vasorum apparatus, quæ tortuoso flexu disponuntur inter se, textu cellulari uniuntur, membranā sibi propriā involvuntur, plerūmque etiam ductu excretorio donantur; unde eorum Parenchyma.

Ad id omnes glandulæ conferunt ut humorem quemdam, vasorum ope, secernant à sanguine.

Supervacanea foret de glandularum structurā & usu prolixior expositio. Ex adumbrata descriptione, in prono est explanare cur in morbo venereo qui humorem mucosum & sebaceum maximè afficit, toties laborent glandulæ, & veneni consortium adeò facilè admittant (1); undè varii & innumeri eructantur affectus de quibus postmodò nobis erit dicendum. Sed antequam symptomata insitæ luis venereæ exhibeamus, quædam sunt præmittenda de illius differentiis, & de variis ejusdem communicandæ modis.

## E X C H I R U R G I A.

Circà Syphilidis naturam, originem & essentialē causam fluctuat etiamnūm auctorum incerta mens: detegendo velo, frustrà infudârunt celeberrimi *Astruc* & *Fabre*, nihilque eorum scriptis addere jubet prudentia. Aget solummodò dissertatio nostra de morbo quatenūs recens natos occupat; huic autem argumento præcedere debent indicatio temporum in quibus à conceptionis instanti, imò & ultrà partum, à matre in fœtum derivari possit virus venereum, simul & illius communicandi

---

(1) *Astruc*, de morb. vener. tom. 1, p. 420.

varietas (1). Contagii propagatio in quatuor dividitur tempora, conceptionis scilicet, gestationis, partus, & etiam lactationis.

1°. Ubi primùm in utero materno fecundatur infanti strudimentum, vel alterutrum parentem, vel utrumque infestat lues, aut recens, aut jam à longo tempore sæviens; partem ipsam culpæ ream obsidet, totamvè sanguinis molem corruptit; hinc & indè fuit, vel injectâ antiveneorum catenâ cohibetur.

2°. È fonte puro dimanavit embryonis vita, & jam gravida mater venenum exhausit; loco natali adhærens primariò virus, curationis idoneæ defectu, per integrum corpus serpit, & ad fœtum usquè cum succo alibili defertur.

3°. Accidit etiam ut gravida mater quæ, nullo se suspicatur pollutam veneno, luem tamen exitiali connubio mox parturienda contrahat, fœtusque eamdem intrà partus angustias excipiat; sic vitales auras cum turpi morbo propinandas haurit inscius, & jam vitiato aëre fruitur.

4°. Pendet à mammis oī rūs dulce & virus cum lacte fugit puerulus sive ab ipsa matre, sive à nutrice prætio conductâ, sæpiùs infidâ, quæ dùm porrigit ubera, porrigit simul innocuo & miserrimo infanti oscula venenosâ voluptate quasi fecundata.

Pro eâ multiplici modorum & temporum varietate quâ oritur venerea lues congenita, diverso viget intensitatis gradu; undè patet cur à parentibus Syphylide contaminatis nascantur infantuli illius pestis expertes, aut apud quos, per quoddam vitæ curriculum, quasi sopita jactalii verò promptis

(1) *Vide* Observationes celeberrimi nostri *Petit*, luculentis illustratas Commentariis à celeberrimo M. *Fabre*, in libro jam laudato, tom. I, pag. 6.

ejus furoribus devoveantur victimæ , aut larvatâ ipsius figurâ , rachitismo , scrophulis , variique generis obstructionibus obnoxii vitam trahant infelicem.

Quoties in hac morborum , vel , ut rectius dicam , symptomatum farragine desunt vera luis criteria , quæ solo temporis lapsu , eheu seriùs dignoscuntur ? Quoties fallaci symptomatum cohorte circumdatur idem ille morbus medicamentis nutrici simul & nutrito noxiis incassum oppugnandus ? Quanti ergo prætii aestimanda Diagnosis quam certam & inconcussam exhibebunt symptomata quædam luem venereum in recens natis frequentius comitantia ? Itaque viam adhucdum leviter titam adaperiat ipsamet experientia ; jam inter innumeras & varias ejusdem morbi complicationes nobis Chirurgiam in Nosocomio dicto *Bicêtre* , exercentibus faciem præviam obtulit (1) , & tandem ex novo Hospitio emerget optata lux quâ tenebræ superstites sint discutiendæ . Hic incipit filum illud ariadneum quo gressus incerti deduci possint extrâ labyrinthum jamdudum inexplicabilem (2) .

(1) Experimenta nostra in Nosocomio dicto *Bicêtre* incepta , consilio & opere juvit celeberrimus M. *Brun* , Nosocomii Generalis Chirurgus primarius , Doctor Medicus Remensis.

(2) Exorientis hujusce Hospitii curam gessimus unà cum MM. *Colombier* & *Doublet* , D. M. P. omnem conjunctis viribus operam navavimus , totisque armis enixi sumus ut observationes experientiâ communi illustratas sive in Diagnosis , sive in tutiori curatione sedulò colligeremus . Jam Medicorum eorumdem indefessus labor , jam laudanda sagacitas , dignaque ministro humanitatis amico , cuius ope nobis arridet institutionis utilitas , publici fecerunt juris , & nostras in inquirendo morbo vigilias , & in curando successus .

Vide *Hospice des pauvres Enfans nouveaux nés , atteints du mal vénérien* . Paris , 1781 , par M. *Colombier* .

Idem , *Mémoires de la Société Royale de Médecine* .

*Mémoire sur les symptômes & le traitement de la maladie vénérienne dans les enfans nouveaux nés* . Paris , 1781 , par M. *Doublet* .

In omnes ferè corporis partes, sævit venerea lues etiam hæditaria, & experientiâ judice, apud infantulos oculis, naso, ori, partibusque generationi dicatis adhæret præcipue. Hinc multiplex, turpissimumque istius satellitum efformant tumores, pustulæ & ulceræ, quæ quidem ut certo disponantur ordine symptomata, cutem generatim, caput verò speciatim, truncum & artus obſidentia fideliter exponemus.

Plerumque lutea, fusca, livida, rugis, crustisque furfuraceis deturpata videtur cutis, variis maculata modis nunc apparet, nunc in ea plus minusvè impressa cernuntur inflammationis vestigia; mox horret erysipelatosis eruptionibus, pustulifvè altioribus, siccioribus & sæpè crustâ induratis, mox diversa serpunt ulceræ. Hic tumores duri & indolentes, illè molles, acerbi, & lento quasi gradu ad suppurationem vergentes deprehenduntur.

Vultum turpè deformant pustulæ siccæ inflammatoriæ, purulentæ, nonnunquam impetiginosæ. Jam fugiunt faciei decus & splendor, eraduntur genuina sanitatis, lætitiae & innocentiae lineamenta, jam fatalem typum insculpsit senectus maximè precox. Risuum, jocorumque naturalem locum usurpant maces, livor & rugæ, sicque tristis delineatur vultus, in puerulis contagio venereo non inquinatis raro occurrentus. Quod quidem symptomæ mox expressum, quasi pathognomonicum, teste nostrâ praxi, affirmare licet: idèoque sic deformes recens nati sanæ nutrici non sunt committendi, nisi decem vel duodecim diebus elapsis, ubi tunc plerumque sincerus morbi character explicandus.

Sui sunt corio affectus quibus indicatur Syphilidis præsentia, erosiones scilicet initio simplices, quæ in coronali, parietali & occipitali frequentius occurrent, latè serpunt, & albescunt paulatim, mox exudat humor ichorofus & fetidus, mox nigricans

fit color, minitantis gangrenæ omen. Apparent etiam pustulæ variolas admodum referentes, vel ad lentam suppurationem paratæ, vel absque eadem exsiccatae.

Obsidetur insuper corium capillatum variis tumoribus quorum alii duri, rotundi, inæquales, alii molles cutis colorem non maculant, lymphaticorumque naturam æmulantur. Quidam inflammatorii in abcessum citius abeunt, & quandòque cariæ ossium minantur.

Infestat raro aurium ductus veneræ lues, non nunquam tamen insurgunt eruptiones herpeticæ, necnon excoriationes pure ichorofo madidæ. Oculus suis quoque cruciatur morbis, undè palpebrarum œdema, præsertim superioris, Ophthalmia sicca, humida, purulenta, Epiphora, Erosiones & ulceræ cornææ, albugo, abcessus interiores, ipsiusmet oculi liquamen, membranarum apertura, humorum fluxus, necnon Staphiloma. Tumescit pituitaria membrana, in sinuum ambitu cõiuntur ulceræ saniosa & mucus narium exsiccatur, undè earum obstructio, difficilis respiratio, puerorum denique sat frequens suffocatio. Hæc autem omnia mala iis potissimum incumbunt qui nullâ laborârunt Ophthalmiæ, tunc in olfactus organa ruit violentior pestis,

Os ipsum offenditur, sic pustulæ, aphæ, ulceræ癌rofosa quibus commissura labiorum, gengivæ & lingua premuntur. Inflammatio brevi accedit velum palati pendulum, amygdalas, uvulam & totum os omnino subvertit,

Varia inter symptomata quæ truncō imminent, annumerandæ veniunt eruptiones erysipelatosæ, herpeticæ, pustulæ complanatae, mox rubræ, vel lividæ, mox siccæ & crustaceæ. Tumores & ulceræ occupant axillas, scapulas, pectus, abdomen, umbilicum, inguina & clunes. Sæpè etiam ad spinam dorsi & os sacrum decurrunt tumores plus minusvè elati, molles, fusi aut nigri,

quandòque spinæ bifidæ speciem referentes ; at in tegumentis tantummodo commorantur.

Apud utriusque sexūs infantulos sæpiissimè patefiunt rhagades fici , mariscæ , cristæ , condylomata & bullæ crystallinæ . Apud masculos scrotum , penis & balanus inflammatione corripiuntur , œdemeat , pustulis , ulceribus & fissuris cancrois urgentur , sed liquorem virulentum per urethram defluente nonnihil detexit observatio . Puerulæ contrà nonnunquam obnoxiae sunt materiæ luteæ , necnon vitiæ fluxui , quæ à mucoso quædam à vitæ initio fœminas afficiente discrepat . Vulva quoquè eorumdem malorum sedes quæ in adultâ ætate luem venereum indicant .

Suis peculiaribus morbis subjiciuntur & manus & pedes ; unguis crassi , scabri fiunt , & abortis ad radices reduviis , Paronychiâ vulgo Panaritio , inflammatione , abscessu sponte decidunt . Altiora etiam talum dilacerant ulcera .

Fastidiosa hæcce tabula fideliter delineata eamdem offert malorum congeriem quæ adultam ætatem cumulat & excruciat . Illud autem notandum quod apud infantes virus glandulis & ossibus rariùs inhæreat , frequentius verò cuti & textui celluloso .

Frequentiora inter ulcera quæ in caput , scapulas , axillas , inguina ; sacrum , clunes , talum denique impetunt , alia pendere videntur à compressione quâ laboravit intrà partûs angustias misellus infans , alia ab inflammatione leviori cui ansam præbent vincitura funiculi umbilicalis , linteorum attritus , sordities , lotii vel fecum acrimonia , cutis sinus versus axillas & inguina , continuus denique corporis incubitus .

Ex ea tām multiplici symptomatum caterva , quædam certo infiguntur typo , certamque morbi venerei præsentiam apud reçens natos declarant ; sed virulenti omnes non eadem afferunt : hi dubia duntaxat , alii vera post aliquot dies solummodo exhi-

bent; in quibusdam latet virus, vel seriùs suo erumpendum caràctere, vel aliorum morborum lavâ obtegendum.

Quàm verò miseræ humanarum scientiarum vices & conditio! Vix nostra crebior experientia suspicatur tempus quo propriis symptomatibus haud dubiè appareat apud infantes venerea pestis; constat tamen eam versùs duo & decimum diem ab ortu sèpiùs expergesfieri, & varia mala ad illud, rarò ad remotius tempus insurgere.

Maneat ergò in arte nostra inconcussum longo duntaxat experientiæ & ratiocinii usu dubia à certis distinguenda esse vene-  
reæ luis hæreditariæ symptomata, tutamque è collecto obser-  
vationum tenore deducendam esse prognosim.

Quid metuendum, quid sperandum, habitâ rerum ratione, tutiùs indicabit ulterior praxis; ex alienis verò (1), nostrisque hùc usquè collectis observationibus sequentia deducenda sunt corollaria.

Maximum sèpiùs portendunt periculum capitum ulcera; vel enim citiorem in gangrènam delabuntur; vel lethalis sopor ea subsequitur, humoris in cerebrum metastatico defluxu.

Tenues corii capillati pustulæ plerumque benignæ, tumores duri & rotundi in variis capitum partibus vagantes, ociùs, molles contrà qui suprà fontanellam insident, seriùs, suppurationis terminum adipiscuntur: ex iis autem dimanat modò humor albidus, & viscosus, modò serum puriforme, & tunc depresso paulatim evanescunt.

(1) Vide *Astruc*, de morbis venereis, lib. iv, cap. v.

*Levret, Art des Accouchemens.*

M. Nils-Rosen, *Traité des Maladies des Enfans*, traduit par M. le Febvre de Villebrune, D. M. p. 556.

Doublet, *Mémoire sur les symptomes & le traitement de la Maladie Vénérienne dans les enfans nouveaux-nés.*

Fatalis & præsaga mortis imago in recens natis senilis vultus, ejusque decrepitudo, non tamen certò lethale signum, si modò symptomatum comitantium minor urgeat impetus.

Cum purulentæ fluunt nares, muci saniosi aut inspissati præsentiâ oppilantur & irritantur, difficulte anhelat respiratio, tunc mors ostia pulsat. In hoc casu nasi sinus tumefactâ Schneideri membranâ penitus occlusos, ulcuscula sparsim disseminata, cerebri & pulmonum infarctus explorat cadaverum anatomica sectio.

Oculorum verò morbi non tam gravi periculo laborant, & artis peritæ curis facile cedunt; funestè tamen accidit aliquoties globi ipsius suppuratio, sicque cerebro imminet periculum.

Quibus os occupatur, maximi momenti sunt morbi, quoniam propagatione œsophagum vivida nonnunquam corripit inflammatio; undè irrita lactis fuctio. Cæterarum verò hujusce organi affectionum, non eadem viget gravitas. Labiorum, gingivarum cancri vix emergentes, & paulò numerosiores, coloris rosei, lutei, albescentes nihil triste ominantur. Non idem dicendum de eis qui confertim linguae apicem & palatum invadunt, alius infiguntur, & fusca crustâ obteguntur. Minimè formidandæ sunt aphthæ latæ, parùm vividæ, oris interioris superficie i tantum adhærentes (1); sed mors est in propinquo, si iis immiscetur miliaris infantorum morbus qui, à Syphilide etsi alienus, cum ea lethaliter sæpius implicatur (2).

(1) Vide de cognoscendis & curandis morbis ab Herm. Boerhaave. Aphor. 985, &c. Celeberrimumque illius Commentat. Swieten.

(2) Morbus ille Scorbuticæ indoli sat affinis, ab aëris corruptela ortus, sive que in numerosis Nosocomiis frequentissimus, os interius, continuumque digestivarum viarum systema infestat, & sub specie punctulorum albescientium ab initio sece prodit, undè variae denominationes gallicè Millet, Muguet, Blanchet. De illâ affectione quam atrocem vocat Celeb. Levret, silent plerique scriptores. Sed in luculentis regiæ Chirurgiæ Academiæ Actis egregiè describitur. Vide *Maladies de l'intérieur de la Bouche*, vol. V.

Cutis pustulæ tenues, & raro disseminatae, ad suppurationem citè vergentes, benignæ sunt indolis; malignæ verò, latæ, duræ & crustaceæ. Ejusdem tumores, abscessus & ulcera plerumquè facilè curantur.

Periculum abest à tumoribus spinæ dorsalis, & ossis sacri non purulentis, purulentos autem graviter subsequuntur caries & gangræna.

Rubores, rhagades, varii generis, excrementias tūm in ano, tūm in genitalibus utriusque sexūs organis, dum ulceratio advenit, difficile vincit remediorum energia.

Nihil metuendum à fluxu virulento quo afficiuntur puellulæ necnon à labrorum pudendi œdemate.

Pedes & tibiæ obſidentur erysipelatibus, & œdematosis infiltrationibus gravissimis, sæpèque lethalibus, cùm in hasce partes metastaticè irruit humor ophthalmicus.

Metum injiciunt psoricæ eruptiones, pustulæ crustaceæ, & ulcuscula quæ, in extremis digitorum frequentiora, ungues erodunt ad radices.

Facillimè curantur talorum ulcera.

Iteratâ observatione constat infantulos quibus laxa cutis, & diffluens pinguedo, ad quartum circiter mensem succumbere œdematosos, & apertis cadaveribus infarcta capitis, pectoris & abdominis viscera, infiltrationes necnon seri effluxus deprehenduntur.

Hæc sunt symptomata venerea apud recens natos obvia, magis, minusve noxia. Alia autem ab implicato morbo pendent, venereoque gravius important periculum; sic dentitio, convulsivi motus, rubcola, variolæ, & præsertim morbus miliaris qui, si modò vividior irruat, plerumquè lethalis; tunc enim defraudatur infans rucco alibili ad vitam degendam necessario, mediisque lui venereæ debellandæ idoneis.

Jam virus syphiliticum sub multiplici respectu consideratum habemus, jam varii illius à matre in fœtum propagandi modi in lucem exponuntur, jam diversæ, ut ita dicam, formæ, & innumeræ complicationes indicantur: quid ergo supereft, nisi ut plana fiat curationis via quam monstravit ratiocinium, & tutionem reddet experientia?

Circà methodum quâ curandi sunt infantes unà cum miasmate venereo congeniti, duo adimplenda veniunt curationis momenta.

1º. Nutricum lac hydrargiri partibus imbutum exhaustant recens nati.

2º. Sustineantur congruâ vivendi ratione ætati & morbo maximè accommodatâ.

Methodus pro nutricibus adhibenda circà quadruplicem versatur cardinem, 1º. exitiosæ partus sequelæ præcaveantur & sanentur, 2º. antivenerea tempore opportuno administrentur, 3º. propugnantur & debellentur peculiaria quædam symptomata, 4º. tandem præscribatur vicitus ratio curationi idonea.

Missa facimus ea mala quæ sæpiùs partum sequuntur, febrim lacteam, uterinam hæmorrhagiam, lochiorum suppressionem aut imminutionem, quæ tamen rarò nutricibus accidunt; his nihilominus infeliciter obviis, ad solita remedia configiendum.

Est autem morbus puerperis & nutricibus sat frequens, vulgarior tamen iis quas afficit venerea labes, maximi quidem periculi, cum lactis suctum impedit, scilicet mammarum ingurgitatio ab aëris frigidioris contactu, à duri cujusdam corporis attritu, ab imprudenti vivendi normâ, necnon, ut evenit frequentiùs, à scissuris & rhagadibus areolæ, & ipsius papillæ ulcerationibus oriunda; tunc acerbissimi dolores sanguinem, cæterosque humores in mammam derivant irritatam. Quoties prominent abscessus secretionem & excretionem lactis sistentes?

Quoties metastatico impetu in varia organa variis morbi, & ipsa mors, nimirum præceps, ingruunt?

Areolæ & papillæ scissuris levamen affert, teste nostrâ praxi, medulla in longis ovium ossibus reperiunda, balneo mariæ liquata.

In mammarum infarctu prospèrè succedunt cataplasma emollientia, maturantia, unguenta digestiva, suppuratoria, necnon haustus vi diaphoreticâ & leniter purgante donati.

Quâm periculosa sit lactis metastasis frequentior & tristior docet nos experientia, præsertim cùm in viscera vitæ necessaria irrumpit. In re tâm prompte gravissimâ ponenda spes in venæ sectionibus, vesicatoriis, balneis, necnon diaphoreticis & leniter aperientibus decoctis.

Si verò organa minoris momenti impetum sustinent, tunc non itâ urget periculum, & in promptu sunt medicamenta. Naturæ autem viribus consulendum quæ materiam laeteam vel ad cutem sub specie febris miliaris propellet, vel ad renes, undè copiosa simul & critica lotii copia.

Varias inter Mercarii præparationes quas instituit Empiria, hydrargirosæ inunctiones nobis videntur anteponendæ. Prima adhibenda frictio ad unguenti Neapolitani semidragmam, quæ dosis, ad dragmam unam & semissem paulatim & gradatim adaugetur, ultrâ quâm progredi vetat prudentia; si enim numerosiores, viciniores, nimirum copiâ, nullisque balneis interpositis administrentur illitus, tunc pueruli delicatores intimis torquentur doloribus; mox fluxus alvi lientericus, viridescens miseros fatigat, & post duodecim horas ab unctione, anxietatibus plerique premuntur infantuli.

Inter unamquamque frictionem, trium dierum ponitur intervallum, & etiam longius dummodo sive nutriti, sive recens nato quid insoliti eveniat. Quæ quidem inctionum methodus

prudenter instituta nutricum os servat intactum ; plurimasque ad extremum sanationis curriculum ducit à quocumque malo immunes.

Quæ , duobus infantulis ubera porrexerunt , hydrargiri effectus minùs fuerunt expertæ quam unius pueruli nutrices : undè constat specifici partem maximam in nutritos è lactis fontibus derivari , majoremque dosim pro nutritibus esse adhibendam (1). Varia igitur remedii dosis , varium quoquè administrandi tempus (2) , pro temperamentis , mali gravitate , variorum symptomatum naturâ , necnon puerorum debilitate .

Nutrices in flore juventutis benè constitutæ , quibus cutis subfusca & firmior , feliciùs & ociùs curationis terminum assequuntur. Torpet autem iners remedium per quindecim circiter dies apud eas quæ jamdudùm syphilide laborant , & apud quas illius symptomata hactenùs nullo modo fuerunt mitigata.

Unctionibus methodicè adhibitis pleraque facillimè cedunt symptomata , alia citius , v. g. verrucæ , ulcuscula癌rosoa , &c. Alia seriùs , v. g. vaginæ ulceræ , variæ ad anum ex crescentiæ gonorrhœa virulenta ; quæ omnia , peculiaria sibi vindicant medicamenta : valent ideo fotus emollientes , lotiones deter sive , cataplasmatæ , unguenta & emplastra tūm resolventia , tūm maturantia , plerumque verò topica hydrargiro imbuta. Conferunt maximè locales illitus , unà cum suffumigationibus cinnabarinis , aut rectius cum mercurio crudo parandis , præsertim si rebelles accident fungositates & ex crescentiæ quæ causticis & quācumque operatione acerbâ non sunt debellandæ ; dolor enim lactis rivos , ut ita dicam , claudit (3).

(1) Ad curationem plerumque requiruntur unguenti Neapolitani 2 v.

(2) Ultrà tres meases sèpius non retardatur nutritum sanatio.

(3) Fungosæ vaginæ ex crescentiâ cruciabatur juvenis , uberiori lacte fec-

Nutricum simul & puerorum curationi potissimum confert idonea vivendi ratio ; ea sit quæ alimentum juxta modum expeditet , alvum liberè & facilè subducat , saponaceo vehiculo , Specifici vires adjuvet , humorumque acrimoniam dulcioribus succis involvat & temperet . Suademus itaque lac , ova , juscula , plantas oleraceas , fructus benè coctos aut maturos , panem optimâ fermentatione concoctum , & etiam carnes juvenilium animalium tenerimas . Meri potus non omnino ablegandus , vires & tonum conciliat ventriculo , tristitiam fugat , & quodcumquè viscus languidum exfuscat .

Tutiorem & citiorem vim exerit remedium , si pleno haustu potat ægra nutrix ptisanam hordeaceam , orizaceam , gramineam glycirrhisâ pauxillum edulcoratam , vel cum florum pectoralium infusionibus præparatam .

Ex institutâ nutricum curatione pendet sanatio infantulorum lue venereâ inquinatorum , at nihilominus vis hydrargiri , tenerimæ ætati frequentium morborum natura , necnon victus accommodatus , peculiaria quædam expostulant .

Experienciam freti spontè asserimus nocivè minus agere specificum in recens natos qui prius in sinu materno præparationes antisiphiliticas quasi delibârunt ; hydrargirofæ verò virtutis nondum conscos expectant colici dolores , absque ullis evacuacionibus , calor acris & urens , jaætationes , convulsivi insultus ; nihil appetunt , sedent in ore pallor & macies ; quibus tamen incommodis varias addunt mutationes varia atmospheræ conditio , varia nutricum indeoles , & diversa agendi ratio .

Suspenso mercuriali illitu , emolientibus & anodynis largo

cundans nutrix , operatione gravi & acerbâ à nobis institutâ , mammæ ad dimidium volumen crastinâ die detumuerunt , & ad priorem formam aut ubertatem pristinam per reliquum nutritionis tempus non potuerunt explicari .

haustu potis hæc mala sæpiissimè fugantur. Convulsivos motus proximâ morte minantes, mirum in modum, compescuit enematum camphoratorum usus.

Attento igitur oculo Mercurii effectus in nutrices & infantulos sequatur prudens Chirurgus; eumdem non fugiat, pro singulo curationis tempore, diversus in puerulorum symptomata remedii agendi modus; variat enim citior aut tardior illius energia pro symptomatum naturâ, intensitate, diversâ tûm nutricis tûm nutriti sensibilitate, necnon irritabilitate.

Mense elapso ab hydriargirosi lactis usu, siccantur pustulæ; aut in suppurationem abeunt, fervent inflammationes cutaneæ, discutiuntur œdemata, & mundificantur cancri; jam non serpunt ulcera, exceptis tamen iis quæ caput, umbilicum, & renes occupant. Tunc nova fulget facies, evanescunt rugæ, facilius fit deglutitio, os roseo colore subridet, resolutione, suppuratione & quasi transudatione desinunt tumores.

In oculorum morbos promptiores effectus exerit medendi methodus; at felix medicamentorum cursus, ut ita dicam, retardatur nonnunquam aphthis gangrænosis quæ tunc repululant, & inhibetur miliaris morbo qui, et si venereæ luis nullo modo particeps, ingravescit contagiosè, eoque funestior fævit quod, omnino prohibitâ lactatione, alimento & medicamine miser defraudetur infantulus. Ineunte secundo mense, nova sæpius exsurgit symptomatum turba; variis innascuntur partibus lymphatici & steatomatosi tumores, qui quidem molliter fontanellæ insident, renitenter autem juxta scapulas, spinam dorsalem, & os sacrum infiguntur. Tunc excoriantur & ulcerantur tala, horrent pustulis & pedes & manus, fluxusque quasi gonorrhæus ex organis puerularum genitalibus non raro derivatur.

Varia inter hæc symptomata, difficilior & tardior tumorum

caput, scapulas & extrema præsertim obſidentium sanatio : si moras patitur ſuppuratio, maturantibus emplaſtris adjuvetur ; ſi pus maturum in aliquo coacervatur loco, lanceolâ instituatur inciſio, & reliquum curationis opus naturæ committatur.

Nullo autem oppugnandi ſunt instrumento tumores juxta spinam dorsi & os ſacrum iſidentes, eorumque ſuppuratio caute arcenda, aliter enim vertebras ſæpius depaſcitur caries.

Intra quadraginta vel quinquaginta dies ſilet ſympotatum venereorum impetus ; fuerunt plurima, & quæ ſupersunt, in meliorem ſtatum vergunt. Anomalis tamen febribus & diarrhæis ad id tempus ſubjacent obnoxii infantes ; hæc autem mala à primarum viaram infarctu oriunda fanant radix brasiliensis & minorativa : una cum temporis lapsu plerumque decidit morbus, ita ut vires paulatim accedant. Nitet in ore color roſeus, & valens corporis habitus sanitatem prænuntiat ; ſic inter ſex menses fanatur hæreditaria yenerea lues, aut faltem maximè mitigatur.

Infantulos autem alia manent interdùm incommoda. Debillissimos & cacochimiā quaſi proftatos fatigat valetudo in longum producta, morbisque lui yenereæ prorsùs alienis retardata ; ita leucophlegmatia, abdomenis ingurgitatio, acida cachexia, & diarrhæa quam ſæpè excipit dyſſenteria, quibus feliciter admundūm ſuccedunt ipecacuanha, leniter purgantia, pulvis cancrorum, aqua orizæ aromate condita, cardiaca leni virtute pollentia, & vinum cum abſynthio paratum.

Sic morbos infantes ultrà octavum menſem ubi primū erumpit dentitio, mortem raro effugiant.

Pro variis ætatis, neceſſitatum, morbi & curationis circumſtantijs, neceſſon pro vario nutricum ſtatū, varia instituenda eſt vitæ ratio.

Per sex menses sufficit tantummodo nutricis opiparæ lac ; cuius inopia ad caprinum cogit. Lactis etiam vices felici successu gerunt aqua orizæ simplex , hordeacea melle edulcorata , & etiam pauxillo vini corroborata.

Notandum verò quod duos infantulos , nutrire non valeant puerperæ : lac enim succo alibili parum turgens , dupli nutrioni fit prorsùs inhabile ; sicque , suadente experientiâ , aboleatur usus exiguo nutricum , & ingenti puerulorum numero primùm in novo hospitio usurpatus ; & bono animo fatemur lacti pauperrimo ascribenda esse mala quæ convalescentes expectant puellos , & debilitatem , cacochimiam , aliasque hujusce generis miserias morte tandem terminatas important.

Ad quinque vel sex menses præscribuntur cremores hordeacei cum lacte parati , panatæ , & juscula ex carne animalium deprompta , bis in diem assumenda (1).

Sed infeliciter contigit ut plurimi , variorum morborum ratione , suctionis impotentia , ipsomet nutricum defectu , lactatûs beneficio frui nequeant ; tunc ad media jam exarata confugiendum. At eheu ! intrà primi aut alterius mensis spatum miserrimè pereunt , sive venereæ luis affectibus , sive miliari morbo & sæpiùs marasmo confecti , quibus ea depromuntur adulterina alimenta. In hoc tam gravi rerum articulo nostra mens erat moleculas hydrargyrifosas in nutricum cubiculis disseminatas suctionis potentibus maximi fore emolumenti ad arcendam symptomatum gravitatem ideoque expectandam lactationis facultatem ; vota autem & experimenta delusit eventus.

(1) Lege luculentam Consultationem à saluberrimâ Facultate Parisiensi promulgatam circa recens natos in Nosocomio Generali Aquisextano alendos.

Feliciorem verò promittunt exitum suffitius quos mercurio crudo in ignem projecto obtinemus (1).

Ex observatis ideo certa & tristis deducenda venit conclusio artem vel diæticè , vel therapeutice huc usque esse mancam erga infantulos qui , miliari morbo , aut venereis symptomatibus in os detonantibus laborantes , suetione & deglutitione orbantur. Quid ergò impedit quominus novam nutritionis curationisque viam artis periti interrogare audeant? Nonnè nutritioni inservire possent tūm enemata juscilina , tūm lac ope fistulæ ad stomachum usque delatum ? Nonnè curationi prodeffent antivenerea lacticinia quæ suasit celeberrimus *Levret* (2) ? Quâ de novâ methodo silendum , usque dum tutius instituta experimenta quid sit sperandum indicaverint (3).

(1) Sic quinque infantulos aplithis gangrenosis versus os interius occupatos sat prosperè curavimus. In omnibus saltem plurima fatalis illius morbi mitigata fuere symptomata , quæ omnino in tribus evanuerunt. Veniat tamen prudentia ut tali auxilio nimio opere credamus , eos enim omnes rapuit infida mors in posterūm nutritionis defectu , diarrhœâ & marasma accessita.

(2) *L'Art des Accouchemens , troisième édition* , p. 266.

*Idem , vide Nils-Rosen.*

(3) Illius celeberrimi *Levret* , vestigiis insistens hujuscce actus Præses , variis præparationibus hydrargirosis caprinum lac antisiphiliticâ virtute donavit ; & ex quibusdam experimentis eo cum institutis , et si nihil certi valeat hactenus affirmari , fulget tamen spes plurima in posterūm ex eadem methodo sagaciter calcatâ & ad perfectionis apicem deductâ , in genus humasum derivanda esse commoda. Lactatione enim quocumque modo impeditâ , aut deficientibus nutribus , vicarium illud in promptu erit auxilium ; valebit quoque & sæpius pro adultis venereâ phthysi , nimiâ virium deperditione , provectionisve ætatis imbecillitate , immediatæ mercurialium administrationi imparibus ; sicque dictâ lacteâ antivenereâ nutrientis & sanandis.

Expressam nunc habemus tabulam in qua varia luis venereæ apud recens natos symptomata & incrementa carbone notantur, in quâ variæ ejusdem complicationes cum morbis puerilibus miasmate syphilitico minimè deturpatis, & præsertim eo cum teterrimo quem miliarem vocant, exponuntur, in qua tandem depinguntur peculiaria mala quibus os afficitur, unde irrita lactatio & deglutitio. Quibus omnibus in antecessùm delineatis vix quosdam unà cum syphilide congenitos fatum ultimum fugere judicandum.

Si tamen attentè perpendamus innumeras calamitates quæ infantorum incunabula, & præsertim in nosocomiis obsident, si nostris oculis continuò sit obvia mors quæ recens natos omnes lue venereâ contaminatos cito subsequitur pede, si denique non rari successus in novo hospitio enati, & per diem invalescentes animo obversentur (1) & omnia hæc æquâ lance pondèrentur, viætrix erit, ni fallimur, ea curandi methodus fusiùs forsan exposita quam ratiocinium & experientia temporis lapsu adjuvabunt.

(1) Si calculo promiscuè subjiciantur in ipsomet hospitio recens nati, vel ad illud delecti, sive nutricum laete fuerint enutriti, sive defraudati, apud quos vario circumstantiarum tenore nulla lactatio, nulla proinde vera curatio; aut quos diversis morbis lui venereæ nullo modo congeneribus tentatos rapuit nefanda mors; evasit saua quarta ægrotantium pars. Vide Mémoire sur les symptômes & le traitement de la maladie vénérienne dans les enfans nouveaux nés, pag. 75.

*HAS THESES, Deo juvante & Praefide M. PETRO FAGUER,  
 Artium Liberalium & Chirurgiae Magistro, Regiae Academiae  
 Chirurgiae Consiliario, Scientiarum, Humaniarum Litterarum  
 & Artium Academia Catalaunensis Socio, Regiarum excu-  
 biarum Legionis Equestris DE VILLEROY Chirurgo Majori,  
 Saluberrimae Facultatis Remensis Doctore, tueri conabitur  
 RENATUS ALEXANDER FAGUER DESPERRIERES  
 Cenomanus, Artium Liberalium Facultatis Parisiensis &  
 Chirurgiae Cenomanensis Magister, nuper Nosocomii Generalis  
 Parisiensis in domo dictâ Bicêtre, nunc in Hospitio publico de  
 Vaugirard, Chirurgus præcipuus, Theseos Author.*

*Die Luna 29 Mensis Julii 1782, à sesqui-secundâ post meridiem  
 ad septimam.*

**IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,**

**PRO ACTU PUBLICO**

**E T**

**SOLEMNI COOPTATIONE:**



**P A R I S I S,**

*Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae  
 Collegii necnon Academiae Typographi, viâ Cithareâ.*

---

**M. D C C. L X X X I I.**